



15

AD
AVDIENDAM ORATIONEM

IN ADITV
PROFESSIONIS IVRIS ORDINARIAE

D. XII. NOVEMBER. CID IO CCLXXXXVI

PVBlice HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

D. IO. ERNEST. BERNH. EMMINGHAUS

1796,1

*Insunt de mandato tacito ejusque praesertim tacita susceptione
nonnulla.*

ERLANGAE

TYPIS KVNSTMANNIANIS

Handwritten marginalia on the left edge of the page.



MEMORIAM ORATIONEM

IN AGITO

PROFESSIONIS IURIS ORDINAM

IN THE TOWN OF ...

... ..

... ..

D. JO. ERNSTI

... ..

... ..

... ..



§. I.

Taciti plerumque eandem, imo interdum majorem esse in iis, quae a libera hominum voluntate dependent, conventionibus praesertim, vim atque virtutem, et legibus evinci potest *a)* et omnes fatentur; licet, num adesse censeretur possit, vel deesse, tacita mentis nostrae declaratio, in singulis speciebus maximopere soleat disceptari.

§. II.

In summa nimirum is animi sui sensa tacite aperuisse ex ipsis sanae rationis principiis videtur, qui quidem quid velit, nolite, nec verbis, nec litteris, nec aliis signis externis ex usu communi significationem certam habentibus *b)*, immediate sive directe explicuit, actum tamen, vel commissivum, vel omissivum, perpetravit, ex quo quid cupiat, quid aversetur, justae ratiocinationis auxi-

a) L. 32. ff. de legib. L. 2. de pact. L. 3. de reb. credit. L. 6. §. 1. de contr. emt.

b) Vt puta nutu, L. 52. §. ult. de oblig. et act. vel demonstratione digito facta, L. 6. ff. de reb. cred.

auxilio colligi potest. Quinam veri sint, vel non sint, ejusmodi indolis actus, quantumve in singulis causarum figuris, pro re nata, efficiant, non potest quin saepe ambiguum sit, quum facti et non facti interpretatio saepe prudentissimos fallat, et si in ullam umquam, certe in hanc juris materiam conveniat illud ICTi, quod non possint omnes articuli casusque omnes, qui quandoque acciderint, aut legibus aut Senatusconsultis comprehendi c). Quid mirum igitur, eos qui juri dicendo praesunt, vel quibus solemne est de jure respondere, quaestionum ad hanc rem pertinentium decisione saepe mirifice occupari?

Interim et hoc loco plane destituti non sumus legum in Germania vulgo receptarum auxilio d).

§. III.

Ad *mandati contractum*, et quidem ad *largitionem mandati praesertim quod attinet*, claram habemus ac reiteratam juris civilis functionem, vim et efficaciam actus jusdam

c) L. 10. 12. ff. de legib.

d) FRANC. MANTICA varic. lucubrat. de tacit. et ambig. convent. Geney. 1723. REINH. BACHOV AB ECHT comm. in prim. part. Pandect. L. II. tit. 14. pag. 599. sqq. GERH. NOODT de pact. et transact. cap. II. HENR. THEOD. PANGENSTECHER diss. de pactis tacitis, comment. EIVS in sextri Pomp. ad S. bia. de re testam. et de bonor. poss. lib. quart. (Lemgov. 1750.) adjecta. GREG. MAIANSII diss. de oblig. ex conf. (Tom. I. dissert.) §. 9. sqq. GOD. LVD. MEKKEN de factor. indole in tacit. renunc. (num. 27. opusculor.)

jusdam omiffivi, silentii puta, definientem; eam nimirum, ut mandasse cenferi omnis debeat, qui fcienf patiatur pro fe intervenire, vel ut fibi credatur ab alio mandari e). Cui regulam generalem fuperftruunt non infimi ordinis ICTi: *fcientem negotia fua geri ac patientem mandare cenferi f*). Neque inepte, ut puto. Si enim in aliqua cauffa manifefta eft legum fententia, ad fimilia recte proceditur et femper quafi hoc legibus inefte credi oportet, ut ad eas quaque perfonas et ad eas res pertinerent, quae quandoque fimiles erunt g). Interim haud nego, tutioribus confiliis uti eos mihi videri, qui non nifi de *praefente* fimul negotii domino regulam ita generaliter concipere audent; fi quidem in iis quae interventioni aut mandato ut alii credatur minus fimilia funt h) praefentem, proinde contradicendi majori opportunitate inftitutum, non uno loco

A 2

fibi

e) L. 6. §. 2. ff. mandati. L. 18. eod. L. 60. de reg. jur.

f) STRYK *ufu mod. pand. tit. de procur. §. 28.* LEYSER *ad pand. Spec. 472. med. 8.* LYNKER *Vol. I. refponf. 95. num. 1.* ICTI *Halenf. Tom. I. Lib. I. confil. 34. num. 10.* HELLFELD *jurifpr. for. §. 419.* WERNHER *leñiff. comm. ad pand. Lib. 17. tit. 1. §. 2. et plures quos habet MANTICA l. c. Lib. VII. tit. 7.*

g) Verba funt IULIANI AC TERTVLLIANI in L. 12. 27. ff. de legib.

h) Eft autem plane fimilis v. c. *folutio* debtti alieni.

fibi finxerunt ICti Rom., quem tacite confensisse, quin mandasse? putarunt, cum res ejus ageretur, negotii dominum i).

§. IV.

Quam tradidi modo regula, an procedat etiam in judicialibus? quaeritur. Nec desunt tum legum civilium, tum triturae forensis peritissimi viri qui negant illud et in judicialibus negotiis expresso consensu semper opus esse contendunt, ut mandasse ceteri quis possit k). Sed perperam, ut aliis visum est *) et mihi videtur. Licet enim parum huc faciat IVSTINIANI illud †): *Cuicumque permiseris rem tuam agere, aut defendere, is tuus procurator intelligitur*, ad formularum et stipulationum solennia, quibus olim procuratores solebant constitui, referendum ††); attamen de jure tertii saltem exceptionem satis illepidam proferret
ex

i) L. 2. pr. ff. ad munic. L. 12. de evict. Nimis caute in ipsis speciebus quae traduntur in L. 6. §. 2. cit. etc. praesentiam domini desiderant WESTENBERG ad Dig. Lib. III. tit. 3. §. II. PAGENSTECHER l. c. §. II. aliique.

k) Arg. L. 65. de procur. L. un. C. de satisdat. junct. L. 8. §. 1. ff. de procur. PETR. DE GREVE exercit. ad pand. loca difficil. exerc. 4. pag. 99. BRUNNEMANN comm. ad l. 8. §. 1. cit.

*) LEYSER spec. 53. med. 11. 12. SCHÄUMBURG pr. prax. jud. cap. gen. 2. §. 22. not. *). DANZ V. C. Grundf. des gemeinen Processes, §. 43.

†) In §. 1. I. de iis per quos agere possumus.

††) OTTO comment. ad cit. §. 1.

ex mea sententia qui legum quas illi excitarunt auctoritate fretus ob defectum mandati expressi ab officio mandantis recedere vellet. Id enim tantummodo innuunt istae, quatenus ad largitionem mandati sunt referendae, jus esse adversario, a procuratore quem praesens dominus ad acta expresse non constituit, cautionem de rato exigendi, nisi de mandato quod dederit procuratori, litteris ad adversarium ipsum, vel ad principem *l)* missis, eum certiore reddiderit dominus *m)*. Caeterum qui nullo mandato instructus in judicio comparet negotia alterius, ejus praesertim qui vicem actoris sustinet, expediturus, repelli debet *n)*. Sed de eo in praesenti non loquimur, statuentes potius, interdum videri ex legum praecepto ac sensu eum mandatum habere, qui expressum saltem non habet. Quae vero ex usu fori vel singulis locorum statutis plerumque desiderantur scripta procuratorum mandata *o)*, vel a domino litis oretenus ad acta expresse declarata *p)*, aperte ad formam pertinent magis quam ad sub-

A 3

stantiam,

l) Vel praetorem; vid. NOODT *ad pand. tit. de procur. p. 136.*

m) ANT. SCHVLTING *enarr. part. pr. Digest. tit. de procur. §. 7.* GE. D'ARNAVD *variar. conjectur. Lib. I. cap. 19. pag. 129. sqq.*

n) L. 35. *ff. de procur. L. 27. pr. cod. L. 24. C. cod.*

o) CARPZOV *proc. tit. V. nor. 1. n. 58.* STRYCK *l. c. III. CLAPROTH Einl. in den ordentl. bürgerl. Process, I. Abth. II. Abschn. §. 81.*

p) VOET *ad pand. tit. de procur. §. 9.*

stantiam negotii a procuratore expediendi, ad formam inquam, cujus observatio injungi quidem cum effectu litigantibus potest, quae tamen et non observata ideo non vitiat actum *q*); saltem respectu domini, qui ipse forsitan morem non gessit legi non scriptae, vel statuto in rem istam concepto.

§. V.

An eadem quae de largitione mandati diximus valeant etiam suo modo de *susceptione* ejus, ita, ut qui forsitan a domino negotii, vel absente, vel praesente, de voluntate ejus id ipsum sibi demandandi certior factus id non recuset, sed taceat, mandatum suscepisse videatur, proinde, nisi tempestive renunciaret illud, ad negotium istud expediendum vel interesse praestandum compelli possit ac debeat, pariter in dubium venit.

Si consideramus, non solum ex generali juris pontificii ac domestici regula *r*) tacentem plerumque consentire censi, sed etiam e sententia PAVLLI ICTI *s*) continuo testationem contrariae mentis patrem interponere debere, si

q) MANTICA l. c. Lib. VII. tit. 3. num. 25.

r) Cap. 43. de reg. jur. in sexto. Paroem. Schweigst du still, so ist dein Will; it. Stillschweigen ist nicht allwege gut. EISENHART Grundsätze des deutsch. Rechts in Sprüchwörtern, edit. C. A. L. EISENHART V. C. pag. 343.

s) In L. 16. ff. ad ICTum Maced. Conf. VOET ad pand. tit. mandati §. 3. verb. quin etsi absenti etc.

si improbet actum filii eo fine, ut pecuniam quam mutuasset iste persolveret, litteris sibi denunciatum; non posse recusari e CLEMENTIS Papae praecepto *t*) defensionem ejus, qui litteris ad aliquem directis procuratorem eum in causis suis constituerit, simulatque acceperit iste litteras, neque in continenti protestatus sit; sed cogi potius posse, ut illum defendat in omnibus causis et negotiis ad quae litterae istae sese extendunt *u*), parum abesse videtur, quin tuto affirmanda sit quaestio hoc loco proposita: praesertim quum et VLPANI illud *v*), quod solent allegare negantes: *Invitum accipere debemus non eum tantum, qui contradicit, verum eum quoque, qui consensisse non probatur*, ceteroquin de procuratore *judiciali* tantum conceptum *w*), ex aliis quibusdam ejusdem Icti effatis, ita probabiliter explicari possit ac debeat, ut nil amplius putetur verbis: *verum eum quoque* etc. indigitare voluisse, quam hoc, non aequè, ut in aliis quibusdam juris articulis, eum qui pro statu suo et conditione consensus plane incapax est, vel dissensus, consentientibus hoc loco equiparandum esse. Ita enim in *Libro 17. ad edict.* *x*) idem VLPANVS: *Invitum autem in servitutibus acci-*

t) In *Clem. I. de procur.*

u) ZIEGLER *ad Lancelott. iustit. iur. canon. Lib. III. tit. 2.*
§. 23. STRYCK I. M.

v) L. 8. §. 1. ff. *de procur.*

w) SCHVLTING I. c. §. I.

x) L. 5. ff. *de servitut.*

accipere debemus non eum (tantum) qui contradicit, sed eum (etiam *) qui non consentit, ideoque Pomponius libro quadragesimo et infantem et furiosum invito recte dici ait; et porro Libro 3. ad Leg. Jul. et Popp 3). Deinde ait lex invito patrono. Invitum accipere debemus eum qui non consentit ad divortium; illico nec a furioso divertendo solvit seu hujus legis necessitate; nec si ab ignorante diverterit. Rectius enim hic invitus dicitur quam qui dissentit. Atqui in adoptionis materia, etsi consensu adoptendi opus sit z), et infans tamen qui adoptetur non incapax judicatur a), a nuptiarum contrahendarum negotio furiosorum filii repellendi non sunt, ex ipsius **VLPIANI** sententia b), licet sine parentum consensu matrimonium inire ita nefas habeatur, ut non possint filiorum justae nuptiae esse, nisi praecedat jussus parentum c); in dotis repetitione filia quae non potest per dementiam contradicere, consentire creditur d); in hereditatis aditione tandem filius heres institutus qui patrem furiosum habet, si adierit hereditatem, perinde habetur, atque si paterfamilias adiiisset e).

§. VI.

*) REINOLD diff. ad L. 57. mand. cap. 2. §. 10.

z) L. 45. §. 5. ff. de ritu nuptiar.

z) L. 5. D. de adopt. L. 10. pr. C. eod. GE. D'ARNAUD l. c. Lib. I. cap. 24. pag. 166.

a) L. 42. D. de adopt.

b) Quam refert et probat **IVSTINIANVS** in L. 25. C. de nuptiis.

c) Pr. de nupt.

d) Iterum auctore **VLPIANO** in L. 2. §. 2. ff. soluto marr.

e) Teste **MARCIANO** in L. 52. ff. de acquis. vel omitt. hered.

§. VI.

Verum enim vero, licet usu suo destitutum non sit in mandati suscipiendi quoque negotio juris civilis placitum istud quod loco fundamenti regulae supra traditae allegare solent doctores, ut statim videbimus; attamen regulam ipsam ad susceptionem mandati parum quadrare exinde jamjam perspicitur, quod res nostra plerumque non agitur, ubi negotium nobis demandare vult alter. Ac revera e censu actuum quibus mandatum tacite suscipitur plane proscribendum esse merum silentium, sive praesens praesentem, sive absens absentem epistola ad eum directâ, de negotio quodam expediendo interpellaverit, testis omnino uberrimus est *VLPPIANVS* loco memorato *f)*, ubi: *Invitus procurator non solet dari. Invitum accipere debemus -- eum quoque qui consensisse non probatur.* Actus enim e regula plane indifferens silentium est, uti in statu naturali *g)*, ita et ea civili isto, quem Romani tenebant *b)* et una olim ingressi sunt Germanorum variae gentes; siquidem ex veriori sententia nec recepta Iuris canonici placita, nec vetusti patrii mores hoc loco aliquid detraxerunt vel addiderunt ipsius juris naturalis praeceptis, nisi hoc forsan, quod silentium ejus quem rogatione molesta quis degravaret pro dissensu habuerunt ante-

f) L. 8. §. 1. cit. de procur.

g) Cel. *HVFELAND* *Lehrf. des Naturr. P. I. §. 298. cor. 2.*

b) L. 142. ff. de reg. jur.

antecessores *i*). Ex actu indifferente autem neque consensus probari potest, neque dissensus. Et quamvis de procuratore judiciali proprie sermonem fuisse *VLPIANO*, non diffitear; ad alios tamen quibus negotia sua demandare aliquis vult, eo majori jure sententia ejus porrigitur, quo certius est, grave plerumque, molestum et arduum esse, ob defensionis a culpa, imo et famae periculum, res alienas nobis demandatas administrare, sive contentiosae sint, sive pacificae. Quae vero ejus indolis sunt fugere magis solent quam petere providi homines. Inde apertiora assensus indicia hoc loco recte desiderantur. Nec eos solum qui pro statu suo et conditione consentire non possunt in mente habuisse *VLPIANVM*, quum de his dixit qui consensisse probari nequeant, exinde intelligimus, quod jam aliunde constat, tales procuratores fieri plane non posse. Ad formulas potius quibus uti solebant Romani in servitutibus stipulationis ritu constituendis respexit iste in loco de servitutis supra citato *k*) et stipulationem: *ne jus sit vicino invitis nobis in re sua aliquid faciendi*, committi docuit, si dominus praedii servientis contraveniret dum infans esset vel furiosus, qui praedium dominans teneret. De casu
ubi

i) *Cap. 44. de reg. jur. in 6to.* Paroem. *Keine Antwort ist auch eine Antwort*; *EISENHART* l. c. pag. 98. not. 1. *Add. de silentio* scriptores, quorum selectiores tradidit *cel. GLÜCK* in *der ausföhrl. Erläut. der Pand. §. 290.*

k) *L. 5. ff. de servit. prad. urban. juncta L. 4. praeced.*

ubi sciente et patiente domino, adulto et mentis com-
pote, id faceret idem haud praedicavit; sine dubio quia
invitis nobis id fieri dici non utique potest, quod prae-
fictu nostro fit et patimur: et ex eadem ratione furiosi
tantum mentionem fecit in altero loco ^{l)}, ad materiam
divortiorum spectante. Sed et in utraque specie, ut
constaret de *consensu* et *voluntate* domini, vel patroni,
opus non erat, uti constare debet de voluntate ejus cui
res suas demandare aliquis vult. Et quantum interfit in-
ter nudam patientiam et voluntatem, nemo ICtorum ma-
gis prospexit quam ipse VLPIANVS, more philosopho-
rum quos aemulabatur ^{m)} ita perbelle distinguens alio lo-
co ⁿ⁾: *Scientiam hic eam accipimus, quae habet et voluntatem;*
sed, ut ego puto, non voluntatem, sed patientiam: non enim
velle debet dominus, sed non nolle.

Si vero rogationi alterius extrinsecus aliquid accedit
quod grave fatis et ponderosum videtur ex legum senten-
tia, silentio praeteriri sine discrimine non posse rogatio-
nem, haud negavimus. Itaque ad locum PAVLLI supra
excitatum ^{*)} in promptu nobis, si qua opus, responsio es-

B 2

fer,

^{l)} L. 45. de ritu nupriar.

^{m)} Stoicorum nempe; ECKHARD hermeneut. jur. Lib. 1. cap. 4.
ibique praesertim cel. WALCH in notis.

ⁿ⁾ L. I. §. 3. D. de tribur. act.

^{*)} L. 16. ff. ad ICtum Maceda.

fet, id singulare fuisse in specie ibi proposita, quod a filio ad patrem directa esset epistola cujus mentionem fecit Ictus. Quantum valeat enim in plerisque negotiis potestatis, vel herilis vel patriae, vinculum, certe non ex una constat juris civilis sanctione *o*). Sed et insuper ad locum de susceptione mandati plane non pertinet, re propius inspecta, effatum illud. Mutuam pecuniam sumsit, referente PAVLLO, filius, quasi mandato patris, et fidem suam interposuit; utrumque *denunciavit* patri. Haec erat vera ratio (non ea, quam fingunt nonnulli, quod preces, mandato similes, ad eum direxerit iste, ut solvat pecuniam) cur sine periculo non potuit pater quin continuo contrariae mentis testationem interponeret. *Si enim tantum sciente Patre creditum sit filio, cessat Senatusconsultum p*) (Macedonianum) et qui scit alium pro se intervenire et patitur, mandasse censetur, ut supra vidimus.

Iure potiori omnino huc allegatur Pontificis illud *q*) de eo qui litteras a negotii domino sibi missas vel traditas accepit. Sed mirifice errant, qui soli litterarum quibus negotium suum alteri mandat dominus acceptioni aut lectioni tantum vim credunt ab illo tribui, ut quis propterea mandatum suscepisse intelligi queat. Ita nimirum

o) L. 1. §. 3. 4. de trib. L. 2. pr. D. ad munic. junct. L. 1. C. de filiofam. et quemadm.

p) Teste PAVLLO in L. 12. ff. de SCtum Maced.

q) Clem. 1. de procur.

rum Pontifex: *Instrumento vel litteris quibus te aliquis in causis suis procuratorem constituens pro te debito modo cavit, simpliciter (nulla protestatione facta) receptis, non potes postea recusare defensionem illius. Vti nimirum debitor qui scit et patitur per se intervenire mandasse creditur, ita aequifimum duxit, ut qui de cautione solita, quam in antecessum pro ipso praestiterit dominus, certior factus, tacuisset, mandatum suscepisse videretur. Idemque non refragante r), sed praeunte potius jure civili s). Ecce igitur rationem plane singularem, quae qualificatum, uti dicunt, omnino, proinde obstringens, hoc loco reddidit silentium t).*

§. VII.

Praeter eas qui de silentii vi ac virtute scriptae sunt leges nec aliae defunt quibus actuum positivorum quorundam efficacitas definitur. Refero huc, ad largitionem mandati quod attinet, enunciata saepe laudati *VLPIANI, PAVLLI, POMPONII ET MODESTINI* Iureconsultorum cap. 56. 58. 59. 62. et 63 in fin. tituli Pandectarum de

B 3

procu-

r) Vt putant *ZIEGLER, STRYCK* loc. cit. aliique.

s) *L. 8. §. 4. L. 15. ff. de procur.*

t) Similem speciem *VLPIANVS* tradit in *L. 5. §. 1. ff. de fidejuss. et nom.* quam tamen caveas, ne ad omnes qui ad acta publica procuratores se dari patiuntur praefestinate extendas. Accessit enim hoc loco favor pupillorum qui de re sua securi reddi debuerunt, nominati silentio. *VOET ad pand. Lib. 27. tit. 7. §. 1. SCHILTER prax. Iur. Rom. exerc. 37. §. 188.*

*procuratoribus et defensoribus nobis asservata, quibus regulae vulgares: Qui vult finem et media velle videtur ad finem istum obtinendum necessaria; ac: Generi expresso et species, licet non expressae, inesse censentur; et hoc loco firmanur, ita tamen, ut et abusus earum interjecto cap. 60. et verbis initialibus cap. 63. simul roprobetur; neque minus ea qua cap. 13. §. 12. tit. Digest. mandati vel contra inscripti: ex VLPIANO traduntur verbis *huc amplius dico* etc. Quam susceptionem vero mandati memoratu digna videntur prae aliis verba PAVLLI Icti in cap. 43. §. 6. D. de procuratore translata: *Qui non cogitur defendere absentem, tamen si iudicatum solvi satis dedit defendendi absentis gratia; cogendum procuratorem iudicium accipere.**

§. VIII.

Sicuti nihil obest denique, quin consensu in antecessum et generaliter expresse declarato mandatum et largiri possit, et suscipi; ita quoque tacita mentis nostrae declaratione idem fieri posse, quod dubitemus non est; et quidem vel ita, ut statim atque rem suam alteri demandaverit alter, id suscepisse quoque videatur, vel ita saltem, ut nisi tempestive id amoliat, acceptasse intelligatur. Posterius contingere potest, e doctorum sententia, si saepe negotia certi generis ad solam rogationem alterius sine protestatione quis expedivit; aut si nexu amicitiae arctioris et familiaritatis se illi junxit *). Quibus

*) VOET I. C. MANTICA. I. C. tit. 13. n. 14.

bus nec ego admodum refragor. Imo dari casus, mihi persuasum est, ubi ob nexum foederis quod quis inivit cum alio, plura ejus mandata certi generis suscepisse statim videri potest. Tale est v. c. notitiae et familiaritatis vinculum quod commercii sui promovendi causa a mercatoribus inter se invicem quaeri solet et ali; etsi facile concesserim, in hac specie, ut in similibus, saepe multum interesse, quid caeteroquin antecesserit vel comitetur ipsa mandata, *Ordres* inter mercatores dici solita; graviora et periculosa an sint quae demandantur negotia, an facilia et leviora. Ex aequo enim et bono tantum non omnia dijudicanda sunt inter mercatores praefertim; si ullibi umquam ab apicibus juris plane abstinendum in eorum negotiis et quid quilibet eorum, si in alterius loco fuisset, ipse fecisset, videndum est, ut intelligatur quid ab altero quoque expectare potuisset, vel minus *).

Sed hic filum abrumpo ut indicem, quaenam potissimum fuerit occasio haec pauca litteris consignandi. Quod nimirum ex decreto Augustissimi ac Potentissimi Regis Borussiae, FRIDERICI GVILIELMI, Domini nostri clementissimi, mihi haud ita pridem demandatum est Professoris juris ordinarii munus, ad hujus auspicia ex lauda-

*) BVESCH Darstellung der Handlung in deren mannigfaltigen
Geschäften, P. II. Libr. V. cap. 9. p. 366.

laudabili more majorum solenniter capienda orationem

de studiis quibusdam, imprimis humanioribus, jurisprudentiae subsidiariis

crastino die habebō; utque hunc actum praesentia sua benigne colonestare velint Magnificus Academiae Prorector, Illustrissimi Comites, Illustris Procancellarius, Professores et Doctores omnium ordinum celeberrimi, reliqui urbis nostrae Proceres, atque omnes Commilitones et Cives Musarum nostrarum fautores, genere, doctrina, virtutum nobilitate ornati, ea qua par est observantia et humanitate rogo.

Scripti in Regia nostra litterarum universitate d. XI. Novembr. c[irca] 15 c[irca] CCLXXXVI.

—♦♦♦—
Pag. 1. lin. 1. post verba *majorem esse* add. atque *expressi*.



Erlangen, Diss., 1786-1818
X 242 1358





15

AD
AVDIENDAM ORATIONEM
IN ADITV
PROFESSIONIS IVRIS ORDINARIAE

D. XII. NOVEMBR. CID IO CCLXXXXVI

PUBLICAE HABENDAM

OBSERVANTISSIME INVITAT

D. IO. ERNEST. BERNH. EMMINGHAUS

1796, 1

*Injunt de mandato tacito ejusque praesertim tacita susceptione
nonnulla.*

ERLANGAE
TYPIS KVNSTMANNIANIS

